in uita tua et lingua tua capiaris
et confundaris. Super furem enim est con-
fusio et penitentia et denotatio pessima su-
per bilinguem. Susurratori autem odi-
um et inimicitia et contumelia. Jus-
tifica pusillum et magnum similiter.

VI

Noli fieri pro amico
inimicus proximo. improperi-
um enim et contumeliam malus
hereditabit. Et omnis peccator in-
uidus et bilinguis. Non te extol-
las in cogitatione anime tue velut
thaurus. ne forte elidatur virtus
tua per stultitiam et folia tua come-
det et fructus tuos perdet. et relinqua-
ris velud lignum aridum in he-
remo. Anima enim nequam disperdet
qui se habet et in gaudium inimicis
dat illum. et deducet in sortem im-
piorum. Verbum dulce multipli-
cat amicos et mitigat inimicos
et lingua eucharis in bono homi-
ne habundabit. Multi pacifici sint
tibi et consiliarius tibi sit unus
de mille. Si possides amicum in
temptacione posside eum et non
facile credas illi. Est enim amicus
secundum tempus suum et non perma-
nebit in die tribulacionis. Et est ami-
cus qui convertitur ad inimicos
et est amicus qui odium rixas
et convicia denudabit. Est autem
amicus socius mense et non per-
manet in die necessitatis. Amicus
si permanserit fixus erit tibi quasi
coequalis et in domesticis tuis fi-
ducialiter aget. Si humiliaverit se
contra te et a facie tua absconderit
se unanimem habebis amiciciam
bonam. Ab inimicis tuis separare
et ab amicis tuis attende. Amicus
fidelis protectio fortis. qui autem in-
venit illum invenit thesaurum.
Amico fideli nulla est comparatio.
et non est digna ponderatio auri et
argenti. contra bonitatem fidei illius.
Amicus fidelis medicamentum vite
et inmortalitatis. et qui metuunt
dominum invenient illum. Qui timet
deum eque habebit amiciciam bonam
quoniam secundum illum erit amicus
illius. Fili a iuventute tua excipe
doctrinam. et usque ad canos inve-
nies sapientiam. quasi is qui arat et
seminat. accede ad illam et sustine
ne bonos fructus illius. In opere
enim illius exiguum laborabis et cito
edes de generacionibus illius. Quam
aspera est nimium sapientia ~~mouis~~
indoctis hominibus. et non permanebit
in illa excors. Quasi lapidis vir-
tus probatio in illis. et demorabuntur
proicere illam. Sapientia enim doctrine
secundum nomen eius est et non multis est ma-
nifesta. quibus autem agnita est perma-
net usque ad conspectum dei. Audi
fili et accipe consilium intellectus
ne abicias consilium meum. In-
duc pedem tuum in compedes illius
et in torques eius collum tuum. Sub-
bice humerum tuum et porta illam
et ne acedieris vinculis eius. In omni
animo tuo accede ad illam. et in
omni virtute ~~serua~~ illam tua sua